

natum Carolus Philippum Argentonum legatum: si se respublica in belli Neapolitani societatem cum ipso conjungeret, quam vellet ejus regni partem sibi deposceret: nihil illum recusaturum: id si non vellet, quod pollicita esset se ab ejus amicitia non discessuram, in eo perseveraret: jussum se esse apud Patres moram trahere, omniaque regis consilia cum ipsis communicare. Ad hæc civitas ita respondit: *Tantas esse Caroli regis ad id gerendum bellum facultates, tam præsentem omnium rerum copiam, ut sui auxilii nihil indigeat: itaque se more exemplique majorum, qui bella nisi lacerasti non fecissent, quieturam: nec partem sibi ejus regni postulaturam, cuius nullum ipsa jus habeat: ceterum, quod alii regis nunciis dixisset, pollicataque esset, ab eo non recedere, regisque benivolentiam sese plurimi semper facturam. ipsum quidem eo nomine & nunc libenter vidisse, & si maneat, eo libenter visuram, quo erit etiam urbana mora & quotidianis collocutionibus familiarior: quæque regis intererunt, pro sua vetere in patrem ejus atque ipsum necessitudine, ea in dies, ut ipsis nota sint, curaturam.*

Iisdem prope diebus Senatus Bartholomæo Collioni Bergomati imperatori suo, quod multa bella singulari virtute, fide incomparabili gessisset, remque militarem superiorum imperatorum negligentia collapsam restituisset, quodque de republica optime meritus, auri libras decies centies ei moriens testamento legavisset, statuam equestrem æream inauratam in Joannis & Pauli area ponendam censuit. Ea tempestate vita functus est apud Naxios Joannes Crispus, qui eam ex Cycladibus insulam tresque alias obtinebat, Rhenem, Scyrum, Melum, duobus liberis parvulis ex pellice relictis. Is propterea quod avare atque crudeliter regnaverat, civitas, concilio coacto, statuit reges ulterius non perpeti. Erat tum forte fortuna in insulæ oppidique portu Nicolaus Capellus legatus, eo cum sex longis navibus ad piratas insequendos profectus. itaque natæ occasionem cives, plebsque omnis, ipsis cum natu majoribus, matribusque familias infantes in ulnis gestan-

Bartholo-  
maeo Bergo-  
mati statua  
equitis  
ponitur.